



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Machvmetis Saracenorum principis, eiusque Svccessorvm
Vitae, Doctrina, Ac Ipse Alcoran**

Bibliander, Theodor

[Basileae], März 1550

VD16 VD16 K 2586

Mahumedes pseudopropheta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97854](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97854)

TAmetsi quidam tradunt Mahummedem Turcarum & Saracenorum (qui olim duæ, tempestate nostra gens una sunt) prophetam ac legislato-rem, genus ex Arabia, alij ex Persia traxisse: eum tamen Cyrenæum, ab ipsis cunabulis à prædonibus Saracenis raptum, in Arabiam asportatum, & Ismaelitæ cuidam mercatori claro ac diuiti (cui nomen erat Abdemonaplis) uenditum fuisse certò comperio.

Natalibus fuit ualde obscurus. natus est anno à salute nostra circiter quingentesimo octogesimo duodeuicesimo, Maurittio Imperatore, rege
10 in Gallijs Clotario secundo.

Puer, ornamentis pueritiæ, lepore scilicet ac uenustate ita affluxit, ut heri sui (qui liberis carebat) deliciæ amoresq; factus, uulgo filius Abdemonaplis diceretur.

Nec destituit fauor herilis adolescentem: quem ut mercaturæ faciendæ peritiâ augeret, utq; in gratiâ cum mercatoribus alijs poneret, magistrum fecit camelorum, quos plerunq; in Aegyptum, Syriam, Palestinam, & loca finitima, negationis causa dimitebat.

Ex quibus peregrinationibus, præter quàm astutus, callidus, & in omni commercij genere exercitus, etiâ religionis Christianæ ac Iudaicæ, ex cre-
20 bra cum Iudæis & Christianis communicatione doctus euasit.

Accidit ut eo tempore Sergius monachus, Constantinopoli ob hæresim exul, in Arabiam profugeret, forteq; hospitali tecto ac mensa ab Abdemonapli reciperetur.

Cuius humanitatē ut animo cepisse uideretur, utq; eam quâ ambiebat extorris gratiâ iniret: amore quem ergo Mahummedē singularem habebat deprehenso, Mahummedi se ad amicitia ac familiaritatem adiunxit.

Officia id genus peperere inter eos summam cum rerum omnium, tum maxime suarum de Christiana nec non & Iudaica religione sententiarum communicationem.

In qua Sergius facultate dicendi superior, & in literis sacris (quarum professor erat) exercitior, Mahummedem faciliè ad arbitrium suum adducebat: atq; in hæresi Nestoriana (cuius causa exulabat) obstinatè perseuerans, nunc Iudæos illi damnabat impietatis, qui sacrosanctum prophetam **IESVM CHRISTVM** nequiter in crucem egissent: nunc uicissim Christianos stolidæ fiduciæ ac leuitatis, qui de **IESV CHRISTO** crederent, quæcunq; credebant.

Moritur interea Abdemonaplis. Vidua eius Gardigena iam quinquagenaria, nuptijs non contenta prioribus, haud ita multo post secundo nubere deliberat. Incitabant ad id fortunæ amplissimiæ, quarum sollicitudine
4 exedebatur nullo hærede domi, solatium item, atq; rei familiaris securitas, quæ à nouo marito expectabat.

Nemo sibi aptior uisus est famulo Mahummede. Qui præter quàm iuuenis, lepidus, callidus: officij etiâ domestici, uita functi necessitudinum ac commerciorum gnarus erat.

Nupsit ergo Mahummedi. Qui ut se ex nuptijs opum copia, famulatio, amicis locupletatum sensit, ut erat natura animo excelso & superbo, mercaturæ studijs, quasi humili & se indigno genere uitæ, renūciare, inq; militiæ disciplinam proficisci decreuit.

Quod quidem executus est ita, ut breui admodū tempore, partim calliditate

ditate ingenij & facundia, partim largitionibus, prædonum Saracenorum, militumq; omnium uoluntates mereretur: atq; autoritate sua numerum de eis quem uellet, ubi & quoties uisum erat, congregaret.

Atqui, Sergio utebatur semper familiariter. Qui ut Mahummedem ex famulo patrem familias, ex paupere diuitem, ex homine nihili uirum alicuius potentia factum uidit, perpensa diligenter non eius modò temeraria gloriaq; cupida natura, uerumetiam magna cum Saracenis militibus gratia, peripetto item rerum quæ ipsius erant priuatarum tenui statu, quem & augere opibus, & fama illustrare Mahummedis auspicio, nec non & arte sua cupiebat, beneficiũ quasi collocando accepturus, adiuuare Mahummedem consilijs, splendorem domesticum ob oculos ponere, fauorem militum inculcare, autoritatem qua erat apud omnes prædicare, copiarum conuocationem, dominatus occupandi opportunitatem, uictoria potius dæ facultatem suadere cepit. 10

Audiuit Mahummedes libenter monentem grata & iucunda, facileq; monitori acquieuit. Sed ne non honesto colore facinus audax tentaret, ambobus consultum uisum est gerendæ rei occasionem, ex ea quæ inter ludæos & Christianos tum maxima fuit, religionis discordia capere, ac concordia reconciliationem simulare.

Quod mendacium ut specie ueri prætexerent, nouam quandam religionem excogitarunt, partim ex Hebræorũ, partim ex Christianorum floribus delibatam. Quam cum in genere ac certas quasdam leges digestsissent, commentario conclusam, Alcoranum, hoc est præceptorum uolumen appellarunt. 10

Tum deinde Mahummedes, authore Sergio, collecto frequenti exercitu procedere, Alcoranum suum in medium proferre, ipsum à se diuino afflatu conscriptum ad controuersias de religione tollendas profiteri aggreditur. Se porro diuinitus missum affirmare, qui Arabum sit propheta, qui eos à religionis erroribus, in quibus uersantur, auocet, qui leges Alcorano suo comprehensas in publicum proponat, qui earum sanctimoniam doceat: Quas si custodirent sanctè, certo scirent se, primum, in hac uita Mulsilmanos, id est beatos appellandos: postea autem, in cælo præmio ineffabili remunerandos. 30

Quia uerò aliqui emunctæ naris homines, commenta eius deprehendere, inficiari, disputando infirmare potuissent, atq; adeò populum rudiorum, non oracula esse diuina, ut impudenter impieq; iactabat, sed nugas, captiones, fallacias, mera mendacia docere: Lege pariter cũ libro suo promulgata sanxit, ne de eorum, quæ in Alcoranum congesserat, ueritate aut fallitate, pœna capitis, ullo modo inquireretur ac disputaretur. Responsum enim Dei uocare in dubium, nemini cuiquam licere. 40

Interea autem legis suæ, augustæ scilicet, publicandæ specie, Arabiam quasi aliud agens, militibus ita occupauit, ut breui admodum tempore uniuersam, partim terrore, quem unicuique exercitu formidabilis iniiciebat, partim ineptæ ad uerum discernendum plebis suffragio, quæ pro sua simplicitate ipsum, & internunciũ Dei esse credebat, & tanquam sanctissimum prophetam uerebatur, in suam potestatem redigeret.

Rebus prima hac expeditione sæliciter gestis inflatus, de usurpanda quoque Syria cogitare cepit. Sed admonitus bello opus esse, incolas enim armis restituros, uiribus suis omnibus collectis, Syriam inuadit. Quam

Quam cum aliquandiu populando uexandoq; territasset, fugatis passim hostibus, non Damasco modo urbe, sed & omni prouincia, & deinde Aegypto pari fortuna potitur.

Succelsibus istis inebriatus, cum prosperos semper euentus belli sibi fore crederet, & Persiam suspectam haberet, animo cum Persis belligerandi, spe etiam eos ut prius Arabas, Syrios, atq; Aegyptios perdomandi, iter in Persiam conuertit.

Cuius fines incurfare uix dum coeperat, ecce Cosiroes rex ex aduerso ingentem Persarum manum in expeditionem educit. Congreditur actutum: signa uiriliter conferuntur: cadunt utrinq; non pauci. Mahummedes denique uulnere in facie accepto, uertere terga, seseq; in fugam dare cogitur.

Moritur paulo post Cosroes. In cuius locum successus Syrochis, uita post anni spacium excedit, relicto in successorem Adhisere filio. Sed & hunc continuo mors occupat: quare populus Harmisdam sibi in principem elegit.

Contra quem Mahummedes, accessione Arabum Saracenorum, (qui uulgo Scenitæ, hoc est grassatores populatores uel dicti, nuper ob stipendia ab Heraclio Cæsare denegata, Romanos deseruerant) fortior in Persiam reuertitur.

Stetit ex altera parte in procinctu Harmisdas: atque ut à longiore progressu hostem arceret, prælio excipere sine mora uoluit. In quo fulis fugatisq; suis ipse occiditur.

Victor Mahummedes nullo postea discrimine Persiæ regno potitur, ac demum quas Arabibus antè, Syrijs, Aegyptijs, leges Persis imposuit.

Regnauit deinde sexennium: quo exacto, ueneno tollitur ab uno familiarium Gardigenæ uxoris propinquo. Vixit annos quadraginta (sunt qui triginta quatuor dicant, alij triginta septem.) Discessit è uita post Christum sexcentesimo tricesimo octauo: iacet in Mecha Persiæ sepultus, ubi etiamnum hodie sepulchrum eius apparet.

DE TAMERLANIS PARTHI
REBUS GESTIS.



Amerlanes Parthus natione, genere obscurus, in gladiatorium ludum ab ineunte pubertate à parentibus missus, armis egregie tractandis ea uigilantia incubuit, ut pauculo etiam tempore cæteris longè superatis, cognitu difficile reliquerit utro magis, corporis ne uiribus, an dexteritate usu comparata, aut etiã astu atq; ferendi industria ualeret. Ea exercitatio strenuo adolescenti tantam disciplinæ militaris opinionem, famam nominis ac gratiam apud omnes armorum studiosos peperit, ut infinita prope hominum omnis ætatis multitudo, ad illum tanquam ad consummatissimum gladiatoris artis præceptorem, cum pascendorum oculorum, tum præcipue imitationis causa conflueret. Quorum conciliatis animis, & eorum præsertim qui militiam colebant: haud multis interiectis annis effectum est, ut ipse potentissimi equitum ac peditum ultro sequentium exercitus dux maneret. Sed accidit per id tempus, ut regnum Parthorum à Saracenis occupatum, longa seruitutis patientia languesceret: cunctis quidem ægreferentibus, talibus se dominis obnoxios esse, sed tamen nullo ijs malis uerberum